

Merito siquidem ambo reges illi longa dudum bellorum
 conversatione ad invicem inimici, sed pace interveniente tandem
 reconciliati²⁾ alter quidem de fidei integritate atque constantia,
 alter de benignitatis clementia commendantur, quos a vir-
 tutis habitibus preteritarum discordiarum amara recordatio
 minime decerit, sed in dulcore amicitie ad finem usque
 nobilitas animi consummarit.

Defuncto sane sicut promissum est Johanne rege Francie
 Carolus filius eiusdem primogenitus dux Normannie re-
 gnum paternum accepit et soluti regi Anglie pecuniis et
 traditis terris pro liberatione patris in tractatu conventis satis
 pacifice regnavit, pertulit tamen perturbationem non par-
 vam in regno a nefanda congregatione latronum il-
 lorum, qui societatem sive companiam se nominabant,
 de quibus habetur supra. Qui quidem in regno Francie tam for-
 titer convaluerant et eorundem potentia per fautoriam
 multorum de regno potentum, comitum scilicet et baronum,
 qui cum ipsis in eandem societatem passim se sociaverant,
 extiterat tam fortiter radicata. Postmodum aliquibus annis
 decursis cum dicte societatis exercitus in regno Francie tumultu-
 s³⁾ causa insolentia contra rem publicam mala plurima peregre-
 set, contulerunt se cum copioso armorum exercitu ad
 partes Almonnie in finibus Alsarie residentes. Sed principes

²⁾ reconciliati cod. ³⁾ tumult. Francie cod.